

# INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

## *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (44)*

### *4.13.2. De primis problematis deque conaminibus ea solvendi (1)*

Postquam praedium silvestre Tragoessianum in manūs «Culturalis Societatis» transiit, P. Ludgerus Breindl, qui vicepraeses huius Societatis erat, redditus est administrator praedii. Ut hōc munere in ipsō locō fungeretur, in initio mensis Septembris a. 1927<sup>i</sup> in vicum Tragoessianum se contulit.<sup>1</sup> Eum comitabantur Fr. Franciscus Imhof<sup>2</sup> atque Fr. Radbodus Kortler.<sup>3</sup> Cum P. Ludgerus itaque non eodem tempore munere cellararii Archiabbatiae fungi posset, eius successor hōc in officiō P. Aloisius Seibert redditus est,<sup>4</sup> qui quōque eā de causā deinde in quaestionem Tragoessianam multimodis involutus erat.



P. Aloisius Seibert.

Primus parvus grex cooperatorum ergo mense Septembri a. 1927<sup>i</sup> in pristinā «sede domini» in vico Tragöß-Oberort sitā habitationem sumpsit. Hōc aedificium deinde «domus Societatis» appellabatur. Ex illo tempore ex hōc locō negotia «Culturalis Societatis» geregabantur atque operaे praedii silvestris dirigeabantur.

---

1 Cfr Chron. Ottil. m. Iun. ad m. Dec. a. 1927; epistula Martini Malter die 11 m. Oct. a. 1927 ad Gallum Steiger missa (ASO, Z.3.11).

2 Fr. Franciscus Imhof die 8 m. Oct. a. 1883 natus in vico Sexenheim in dioecesi Heripolensi sito vota sua protulit die 31 m. Ian. a. 1909 in Abbatīa Ottiliensi. Idem die 21 m. Apr. a. 1930 in Africam Meridionalem emissus est atque ibidem die 5 m. Febr. a. 1956 in statione Nongoma obiit. (Necrologium 2015, nr. 0553, p. 61).

3 Fr. Radbodus Kortler natus erat die 23 m. Iul. a. 1889 in urbe Monaco in archidioecesi Monacensi-Frisingensi sitā et in monasterium ingressus die 19 m. Iul. a. 1914 vota sua protulit in Archiabbatīa Ottiliensi. Die 8 m. Sept. a. 1974 idem vitā functus est Landsbergii. (Necrologium 2015, nr. 0840, p. 85).

4 Cfr etiam Chron. Ottil. m. Ian. ad m. Apr. a. 1928 (in conexū munerum denuo distribuendorum).



*Illius temporis «domus Societatis».*




*Conspectus a colle desuper ad vicum Tragoessianum receptus.*



*Via, quae hodiernis temporibus iuxta ecclesiam  
ad «domum Societatis», quae fuerat, dicit.  
[Photographēma m. Aug. a. 2017 factum.]*




*Proclivitas ardua in praedio Tragoessiano.  
[Photographēma m. Aug. a. 2017 factum.]*



*Aspectus in silvā Tragoessianā receptus.*  
[Photographēma m. Aug. a. 2017 factum.]

Ab initio tamen in praedii administratione propriā exercendā iam problemata vere magna exorta sunt. Hae difficultates cohaerebant unā ex parte cum



*Clivus praeruptus in silvā Tragoessianā situs.*  
[Photographēma m. Aug. a. 2017 factum.]

condicionibus territorii, in quo praedium situm erat, et cum structurā iam commemoratā ipsius praedii atque cum compositione silvarum. Cum ageretur de regione montanā, cui sunt multae proclivitates praeruptae, arbores caedere iam difficillimum atque laboriosissimum erat. Accesserunt condiciones incommodae malaeque viarum, quibus lignum amovere magis impediebatur, quod hunc in modum carius fiebat. Cum statum rerum in ipsō locō aspiciamus atque regionem perambulemus, illae difficultates hodiernis quōque temporibus conspicuae fiunt. Praeterea non tota area possessionis sub aspectū oeconomiae silvestris tractari potuit, cum praeter alia etiam regiones montanae sine arboribus ad praedium pertinebant et insuper ipsae silvae partim ex silvā tutelari atque silvā integrā constabant.<sup>5</sup> Eā de causā etiam pracepta



*Mons Pribitz, qui ad praedium silvestre pertinebat,  
annis vicesimis saeculi vicesimi receptus.*

---

<sup>5</sup> Cfr supra cap. 4.13.1.

restrictionis a magistratibus silvestribus exhibita exstabant.<sup>6</sup>

Iam ex punctis modo enumeratis apparebatur dubia exoriri posse, num praedii tractatio oeconomice fructuosa fieri potuerit. Praeter aes alienum multiplex, quod ad ipsam emptionem praedii contractum erat, necessarium insuper erat, ut pecunia, quae in fundum imponeretur, atque pecunia ad novas res emendas acquireretur. Insuper ex fructibus praedii non solum pecunia afferenda erat, quā usurae solvendae erant (ut de pecunia credita reddenda taceamus), sed etiam pecunia, quā sumptūs currentes atque salario operariorum in oeconomia silvestri Tragoessiano operantium solvendi erant. Cum haec omnia vix fieri potuerint, non est mirandum «Culturalem Societatem» et insimul officina lignaria Tragoessiana ab initio detimenta pecuniaria habuisse.<sup>7</sup>

Tamen aliud problema ipse praedii silvestris administrator P. Ludgerus Breindl praebuisse videtur. Nam non erat specialista oeconomiae silvestris saltuariaeque et itaque omnia creditit - imprimis cum erant positiva -, quae ab aliis de statu rerum narrabantur. Imprimis pristinus magister saltarius baronis Leuzendorf, Etzelt, qui adhuc munere silvae administrandae fungebatur, effectum satis magnum in P.rem Ludgerum Breindl exseruisse videtur. Et ille magister saltarius Etzelt insuper videtur se baroni Leuzendorf magis obligatum sensisse quam novis possessoribus. Praeterea videlicet supra vires P.ris Ludgeri Breindl erat res pecuniarias «Culturalis Societatis» atque praedii silvestris moderari, quibus dimensiones extremae erant. Quamquam condicio miserabilis satis celeriter percipiebatur atque calamitas pecuniaria iam praevideri potuit, P. Ludgerus Breindl adhuc putavit se negotium excellens gessisse.

Haec opinio tamen apud Fratres in praedio Tragoessiano cooperantes non valebat. Praesertim Fr. Franciscus Imhof, qui inde a mense Septembri a. 1927<sup>i</sup> in praedio Tragoessiano versabatur et praeter alia in res administratorias incubuit, conspectum clarum rerum habuisse videtur. Cum totam conditionem insustentabilem esse existimaret, ad auxilium accipiendo se convertit ad P.rem Martinum Malter, Priorem Archiabbatiae Otteliensis.<sup>8</sup> Illo

---

6 Nonnullos ex his conexibus etiam indicat Cyril SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 148.

7 Cfr. ex. gr. pecuniaria ratio initialis «Culturalis Societatis» Kal. m. Sept. a. 1927 exhibita (ASO, A.11.5.2), quae scilicet iam pecuniā deficiente incohata est.

8 De hac petitione auxilii eiusque sequelis rettulit Thomas Spreiter epistulā suā die 13 m. Oct. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASO, Z.3.0.1.4; ASA, APr 595). Illā epistulā imprimis agitur de progressionibus posterioribus casūs Tragoessiani. - Actionem

temporis momento ad Archiabbatem Norbertum Weber se convertere non potuisset, quia īdem adhuc in itinere Argentiniano versabatur. Prior Ottilensis igitur ad praedium Tragoessianum vectus est, ut ipse inveniret, quid esset. Iis rebus, quae ibi comperit, videlicet ita tactus erat, ut «*vehementer commotus atque fractus*»<sup>9</sup> in Archiabbatiam revertit, quia sequelarum horribilium, quae inde exoriri potuerunt, sibi conscius erat. Post redditum suum et Senioratui et Conventui relationem exhibuit eodem effectū commovente.<sup>10</sup> Sodales Senioratū hōc nuntiō acceptō sententiam protulerunt Archiabbatem Norbertum Weber a munere se abdicare debere. Ut hōc votum eidem exhiberent, Prior P. Martinus Malter et cellararius P. Aloisius Seibert Herbigolim vecti sunt, ut ibidem cum Norberto Weber convenienter, qui modo ex itinere suo in Argentiniam factum revertit. Causā vero huius conventū Norberto Weber certe non erat iucunda. Tamen colloquium, quod attinet ad muneris abdicationem, erat sine effectū. Nam omnibus evidens erat talem gressum immediate ante iubilaeum abbatiale Norberti Weber mundo extramonastralī signa omnino falsa posuisse. Nihilominus interrogandum est, num illo temporis momento, si Norbertus Weber resignavisset, in problemate Tragoessiano aliquid mutatum fuisse.

Interea etiam Ottilianis manifestum erat quoad rem Tragoessianam fundamentaliter aliquid faciendum esse, nisi propter aes alienum magnum crescensque et propter varias usuras solvendas, quas erogare non valuerunt, et propter inde effectas usuras usurarum sine dubio in calamitatē pecuniariam intrudi voluerunt. Invēnerunt autem interim consiliarium saltuarium Dimitz, qui grapheum suum Salisburgi habuit, peritum adiutorem consultoremque.

---

F.ris Francisci Imhof atque gressūs inde exortos commemorat etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 148, qui tamen nomina non indicat.

- 9 His verbis usus est Thomas Spreiter epistulā suā die 23 m. Oct. a. 1928 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASO, Z.3.1.0.4; ASA, APr 595). - P. Martinus Malter ab initio hanc actionem Tragoessianam non multum aestimaverat, tamen condicionem primo non tam malam esse existimavisse videtur, quae revera erat. Opinionem suam, quā emptionem praedii Tragoessiani esse «*diffidentiam providentiae divinae*» et «*fundationem «Culturalis Societatis» esse fraudem subtilem*» putavit, saepius protulerat. Norbertus Weber, antequam spes sua propria minuebatur, talibus enuntiatis exhibitis Priori opprobrio dedit «*eum miseriam domorum nostrarum atque missionis parum intellegere*». - Cfr etiam Martini Malter epistula die 5 m. Nov. a. 1927 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.1.Asien; ASA, APr 585). - Illam Prioris visitationem ad nuntios colligendos in praedio Tragoessiano factam eiusque sequelas commemorat etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 148.
- 10 In Actis Capituli, 12.12.1927 (ASO, A.3.3.5) legitur tantummodo satis sobrie: «*Nuntius rem Tragoessianam pessime se habere.*» (Textus originaliter Theodiscus).

Ille consiliarius saltuarius Dimitz deinde mense Ianuario a. 1928<sup>1</sup> testimonium exaravit, quo praedium silvestre Tragoessianum aestimabatur.<sup>11</sup> Hoc testimonium fundabatur in testimonio magistri saltuarii Hümmer, in nonnullis enuntiatis Leuzendorfiani magistri salutarii Etzelt, quae idem erga dominum Dimitz protulerat,<sup>12</sup> in contractū emptionis et in proprio (tamen coartato) rei conspectū. Hoc testimonium quidem ad emptionem atque totam rem Tragoessianam aestimandam est tam magni momenti, ut eius explicationes paulo diligentius aspiciamus oporteat.

Consiliarius saltuarius Dimitz testimonio suo copioso de omnibus aspectibus praedii silvestris computationes singillatim exaratas exhibuit, quibus ad conclusiones scitū dignas, quod attinebat ad valorem praedii silvestris, ad eius condicionem quaestuosam et ad verum pretium emendi adductus est. Ea, quae computationibus suis invenerat, cum existimationibus in testimonio magistri saltuarii Hümmer factis comparavit. Hoc modō ad differentias conspicuas pervenit, quibus magister saltuarius Hümmer unāquāque vice expensa necessaria nimis parva<sup>13</sup> et lucrum exspectandum nimis magnum existimavit.<sup>14</sup> Consiliarius saltuarius Dimitz tamen falsa data, quae magister saltuarius Hümmer praebuit, quadamtenus excusavit eundem falsas informationes ab officio saltuario, id est a magistro saltuario Etzelt, accepisse.<sup>15</sup> Certe rectum est dominum Etzelt indicia a vero abducentia tradidisse, tamen interrogandum est, cur magister saltuarius Hümmer illa data sine probatione crediderit atque susceperit, cum consiliarius saltuarius Dimitz e contrario computationes rectas exhibere valuerit.

Spectemus autem nonnullas res singulas. Problema iam eo incohatur, quod magister saltuarius Hümmer silvam lucrum trium centesimarum praebere praesumpsit hoc lucrum similiter pro silvā oeconomicā, pro silvā integrā atque pro silvā tutelari computans. Sed secundum Dimitzium lucrum maxime duarum centesimarum exspectandum erat, cum ex silvā integrā atque silvā

---

11 Vgl. Dimitz: Gutachten (Jan. 1928) (ASO, A.4.2).

12 Vgl. Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 11 (ASO, A.4.2).

13 Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 2 (ASO, A.4.2) quoad expensa pro tributis atque administratione eroganda: «semper *infra sumptū* veros *indicantur*». (Textus originaliter Theodiscus).

14 Vgl. Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 3 sqq. (ASO, A.4.2).

15 Vgl. Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 11, p. 6, p. 8, p. 9, p. 10 (ASO, A.4.2).

tutelari minus acciperetur quam pro illis erogandum esset.<sup>16</sup> Dimitz praeterea suspicatur magistrum saltuarium Etzelt, antequam emptio definitive facta est, iam bene scivisse hanc oeconomiam saltuariam tantummodo lucrum duarum centesimarum praebere. Postquam valorem silvae oeconomiae fuse diligenterque computavit varios aspectūs respiciens, consiliarius saltuarius Dimitz ad summam rotundatam 7.705.000 scellīnorum Austriacorum pervenit.<sup>17</sup> Eodem modo Dimitz valorem pascuorum alpestrium atque agriculturae computavit.<sup>18</sup> Valorem piscaturae, instituta industrialia aedificiorumque respiciens denique summam 8.362.000 scellīnorum exhibuit, cui annum lucrum merum (duarum centesimarum) 167.000 scellīnorum aequiperatur.<sup>19</sup> Ex adverso invenītur summa ab magistro salutario Hümmer indicata 29.674.000 scellīnorum cum anno lucro mero 890.000 scellīnorum.<sup>20</sup> Discrepancia est conspicua.

Praesertim scitū dignae sunt investigationes conclusionesque ampliores. Nam consiliarius saltuarius Dimitz explicitum emptori in praedio silvestri acquirendo in animo fuisse pretium solvere, quod in redditu annuo usuras plus quam quinque centesimarum efficit.<sup>21</sup> Quia autem emptione factā, cum novi possessores conspectum in oeconomicas condiciones veras haberent, apparuit annum lucrum possibile tantummodo 167.000 scellīnorum<sup>22</sup> esse, quā de

---

16 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 6 (ASO, A.4.2). - Dimitz hōc appellat esse «sequelas graves informationum falsarum ab officio saltuario exhibitarum». Textus originaliter Theodiscus.

17 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 8 (ASO, A.4.2). - Subiunxit hōc locō magistrum saltuarium Hümmer sub fundamento informationum suarum erronearum ad summam comparabilem 25.148.000 scellīnorum pervenire debuisse, id est summam plus quam triplicem.

7.705.000 sc. = 4.545.950 m.; 25.148.000 sc. = 14.837.320 m.

18 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 8 sqq. (ASO, A.4.2).

19 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 10 (ASO, A.4.2).  
8.363.000 sc. = 4.933.580 m.; 167.000 sc. = 98.530 m.

20 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 10 (ASO, A.4.2).  
29.674.000 sc. = 17.507.660 m.; 890.000 sc. = 5525.100 m.

21 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 10 (ASO, A.4.2). - Ut hanc sententiam comprobaret, scripsit hōc iam provenire ex contractū emptionis, cum eodem pro emptionis summa reliqua nondum soluta usurae plus quam quinque centesimarum praeviderentur.

22 Ut Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 11 (ASO, A.4.2) explicit, opinio lucri anni 167.000 scellīnorum omnino recta erat, quia etiam magister saltuarius Etzelt mense Decembri a. 1927 coram Dimitzio aliisque testibus indicavisset praedii annum lucrum merum annis praeteritis inter 120.000 scellīnorum (= 70.800 m.) et 130.000 scellīnorum

causā inde sequebatur lucro quinque centesimarum praesumpto reale pretium emendi (sumptibus translationis inclusis) tantummodo fuisse 3.340.000 scellīnorū.<sup>23</sup> Hōc pretium tamen esse maximum. Consiliarius saltuarius Dimitz nihilominus hanc summam paululum adaptavit atque maiorem reddidit, postquam praeterea accepta atque expensa mutabilia proximorum centum decem annorum computavit, tunc indicans 3.820.000 scellīnorū.<sup>24</sup> Tamen hōc pretium esse maximum scripsit.<sup>25</sup>

Tamen computationes his rebus dictis nondum ad finem pervēnerunt. Nam Dimitz scripsit haec: «*Hōc valore indicatō praesumitur quidem emptorem in possessione suā libere et sine impedimento agere atque res constituere vale-re.*»<sup>26</sup> Sed haec condicio in praedio silvestri Tragoessiano non valuit, cum in contractum emptionis plures restrictiones atque condiciones assumptae essent.<sup>27</sup> Primo erat illud punctum, quo baroni Leuzendorf venatio ad proximos triginta annos permittebatur,<sup>28</sup> quā de causā propter summam 10.000 scellīnorū a barone Leuzendorf quotannis solum solvendam secundum Dimitzium in toto detrimentum 148.000 scellīnorū pecuniae accipienda evēnit.<sup>29</sup> Accessit interdictum usūs in areā quādem, quae ex circiter centum hectariis constabat, quia ibīdem arbores caedere tantummodo venditore consentiente fieri licuit, id quod valoris praesentis detimento 524.000 scellīnorū aequiperabatur.<sup>30</sup> Praeterea restrictio usūs in parte quādam

---

(= 76.700 m.) fuisse.

23 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 10 (ASO, A.4.2).

3.340.000 sc. = 1.970.600 m.

24 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 12 (ASO, A.4.2).

3.820.000 sc. = 2.253.800 m.

25 Notker Mannhart in epistulā suā die 11 m. Febr. a.1928 ad praesidem primarium «Culturalis Societatis» (id est ad Norbertum Weber) directā (ASO, A.4.2) scripsit consiliarium saltuarium Dimitz explicuisse se «*tam optimistice quam fieri potuisset*» computavisse, id est sub respectū valoris praedii silvestris atque anni lucri meri possibilis.

26 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 12 (ASO, A.4.2).

27 Cfr supra cap. 4.13.1.

28 Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 12 (ASO, A.4.2) hōc punctum praeterea appellavit «*reservationem venandi secundum legem illicitam*». (Sententia originaliter Theodisca).

29 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 12 (ASO, A.4.2).

148.000 sc. = 87.792 m.

30 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 12, p. 13 (ASO, A.4.2).

524.000 sc. = 309.160 m.

regionis Jassing posita erat, quā circiter 350 hectariae complectebantur. Hac condicione respectu severissimae perpetuitatis atque silvae modo existentis quantum fieri potuit, servandaes usus silvae sine exspoliatione paeberetur. Cum in illā regione silvestri arbores vetustissimae invenirentur, quae insuper inde satis facile ad serratrānam transportari possent,<sup>31</sup> et ibidem minimum septuaginta centesimae arborum, quae caedi potuerunt, crescerent, consiliarius saltuarius Dimitz detrimentum ex hac restrictione exoriundum 920.000 scellīnorū summatim computavit.<sup>32</sup> Itaque in summā damnum 1.592.900 scellīnorū enumeravit.<sup>33</sup> Haec summa, quam Dimitz esse numerum minimum existimavit, tamen, cum triginta anni respicerentur, aequiperabatur lucro annuo 103.600 scellīnorū.<sup>34</sup> Hac vero condicione primis triginta annis, quibus insuper usurae atque extinctio debiti omnimodo solvendae erant, annum lucrum merum in summam 112.000 scellīnorū minuebatur.<sup>35</sup> Hunc in modum etiam valor pecuniae collocatae in summam 2.228.000 scellīnorū minuebatur.<sup>36</sup>

Ex hōc testimoniō, eius computationibus explicationibusque duea res manifestantur: primo emptionis pretium ab barone Leuzendorf pro praedio silvestri Tragoessiano postulatum nimis magnum erat et secundo videlicet consilium decipiendi ex parte venditoris exstebat. Tamen interrogandum est, cur Ottilianis non ante emptionem iam in mentem vēnerit, ut tale testimonium independens sibi exarandum curarent. Sic nonnulla problemata vitare potuisserent. Nihilominus inde etiam concludi potest Prem Lugerum Breindl neglegenter, quin etiam culpabiliter egisse, qui propter studium suum absolutum emendi venditori eiusque cooperatoribus nimis confisus est atque omnia alia

---

31 Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 13 (ASO, A.4.2) hōc in conexū praeterea adnotavit eas fuisse illas silvas, quae peritis monstrabantur, ut «*informationes erroneas ab officio saltuario exhibitas credibiles redderentur*». (Sententia originaliter Theodisca).

32 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), pp. 12 sq. (ASO, A.4.2).  
920.000 sc. = 542.000 m.

33 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 14 (ASO, A.4.2).  
1.592.800 sc. = 939.752 m.

34 103.600 sc. = 61.124 m.

35 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 14 (ASO, A.4.2).  
112.000 sc. = 66.080 m.

36 Cfr Dimitz: Gutachten (Jan. 1928), p. 14 (ASO, A.4.2).  
2.228.000 sc. = 1.314.520 m.

neglexit.<sup>37</sup>

Cognoscentiae autem, quae inde ex praedio assumpto acquisitae erant, «Culturalem Societatem» sive monasterium Ottliense adduxerunt, ut sub fundamento illius testimonii aliorumque propositorum, quae cum eo cohaerentabant, contractui exemptionis retractandae studebant.



*Archiabbas Norbertus Weber  
tempore iubilaei abbatialis.*

episcopus Thomas Spreiter, Abbas Placidus Vogel et Abbas Coelestinus Maier primas orationes festivas habuerunt atque Archiabbas recepit vota

Ad breve tempus tamen animi a curis Tragoessianis aliisque curis aliquatenus averti potuerunt. Nam Kalendis Februariis a. 1928<sup>o</sup> festum diu praeparatum incohatum est: nempe argenteum iubilaeum abbatiale Norberti Weber.<sup>38</sup> Illae sollemnitates erant culmen quoddam externum eius muneris, quo per viginti quinque annos monasterium Ottliense Congregationemque duxerat. Episcopus Thomas Spreiter ex Zululandiā et Abbas episcopus Bonifatius Sauer ex Coreā propter hunc eventum in Germaniam vēnerant. Iam vespere antecedente festum incohatum est sollemnibus precibus vesperae et deinde tamquam «intra familiam» conventū omnium monachorum in oeco capituli instituto. Ibīdem Prior P. Martinus Malter,

37 Tamen aliis quoque, qui ex parte Ottilianā huius rei participes erant, opprobrio dari potest ipsos non satis circumspecte egisse.

38 Relationes fusae de abbatiali iubliaeo argenteo inveniuntur in Chron. Ottil., m. Ian. ad m. Apr. a. 1928 ut appendix, cui est titulus «Das Jubelfest in St. Ottilien»; in «Paganis missionariis» (Mbl 32, 1928, pp. 98 sqq.). Etiam Thomas Spreiter: Tagebuch, 1.2.1928 sqq. (ASO, A.1.8.1) de festo iubilaei longe rettulit. Petrus WACHTER: Erzabt Dr. Norbertus Weber O.S.B. und sein 25jähriges Wirken. In: Missionsblätter 32, 1928, pp. 33 sqq. in conexū iubilaei conspectum de illis rebus, quae quadrante saeculo praeterito in monasterio atque in Congregatione factae sunt, praebet et praeterea in nonnullos aspectūs personae facultatumque Norberti Weber incumbit. - Iubilaeum abbatiale Norberti Weber breviter commemorant ex. gr. etiam Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyril SCHÄFER: Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 166; Cyril SCHÄFER (2005), p. 151.

conventū. Festum autem officiale proximo die initium sumpsit sollemni missā, inter quam Abbas Placidus Glogger Augustanae Abbatiae Sancti Stephani homiliam festivam habuit. Plurimi hospites magni momenti venerant, inter quos praeter alios nominandi sunt Abbas Primas Fidelis von Stotzingen, qui quoque epistulam gratulatoriam papae Pii XI tradidit, praeterea Augustanus episcopus Maximilianus von Lingg, Beuronensis Archiabbas Raphael Walzer, Schirensis Abbas Simon Landersdorfer, Einsidlensis Abbas Ignatius Staub, baro Theodorus Cramer-Klett, baro Raymundus de Fugger et iuxta multos politicos imprimis Bavariae praeses administrorum Dr Henricus



*Archiabbas Norbertus Weber inter festum iubilaei  
unā cum Bavariae praeside administrorum D.re Henrico Held receptus.*

[Heinrich] Held.<sup>39</sup> His omnibus hospitibus, ad quos scilicet pertinebant quoque plurimi homines circum circa Archiabbatiam habitantes, manifestabatur, quantopere et Archiabbas Norbertus Weber et Archiabbatia Ottiliensis ipsiusque Congregatio aestimarentur.

Sed commemoranda hōc in conexū etiam sunt tria dona specialia insigniaque, quae Norbertus Weber praeter alia a monachis suis accepit. Primo loquen-

---

39 Nomina omnium hospitum gregumque alicuius momenti in relationibus prolixis legi possunt.

dum est de opere festivo, cui titulus est «*Lumen Caecis*»,<sup>40</sup> quod P.re Laurentio Kilger curante editum est.<sup>41</sup> Hōc libro continentur duodeviginti symbolae scitū dignae de variis aspectibus operis missionarii,<sup>42</sup> quae a Patribus Congregationis Ottiliana sunt conscriptae.<sup>43</sup>

Praeterea duo artificia sunt nominanda, quae hodiernis quoque temporibus in Archiabbatī conspiciuntur atque in usū sunt. Agitur unā ex parte de armario



*Armarium sacristiae ab F.re Livinio Glorio confectum.*

in sacristia constituto,<sup>44</sup> quod Fr. Livinius Glorius confecerat atque opere intestino lignorum, quae variis coloribus praedita sunt, ornaverat. Illud arma-

---

40 Haec locutio cohaeret cum coniunctione monasterii Congregationisque Ottiliensis cum Sanctā Ottiliā et cum Ottiliensi munere missionario.

41 Cfr Chron. Ottil. m. Ian. ad m. Apr. a. 1928, «Jubelfest».

42 His lucubrationibus agitur et de thematis magis generalibus et speciatim de operibus missionis Benedictinae.

43 Dedicatio originaliter Latina est haec:

Norberto / Archiabbbati suo dilectissimo / monasticae vitae pacisque Benedictinae / amatori percupido / missionalis scientiae et operis / fautori eximio / abbatialis regiminis / quintum lustrum / Deo annuente / felicissime explenti / hoc missionale opus / Benedictina conscriptum industria / in tantae solemnitatis gaudio / filiali cum caritate / monachi Ottilienses

44 Indicium invenītur in Chron. Ottil., m.Ian. ad m. Apr. a. 1928, «Jubelfest».

rium speciale est res extraordinaria et aspectum vere elegantem praebet.

Alterum artificium est opus F.ris Zenonis Deuschl fabri ferrarii, ad quod P. Laurentius Kilger descriptiones praebuerat. Eodem ornabatur exterior pars illius portae, quā aditus ad monasterium praebetur. Illo artificio plures tabulae imagineae monstrantur, in cuius centro et insigne monasteriale cum candelabro quinquiplice et insigne abbatiale Norberti Weber conspicuntur.<sup>45</sup>



*Porta monasterialis cum artificio F.ris Zenonis Deuschl.  
[Photographēma a F.re Cassiano Jakobs factum.]*

Hae sollemnitates unā cum omnibus gaudiis signisque amicalibus suis Archiabbati Norberto Weber perturbatā condicione vigente certe profuerunt. Tamen, etiamsi magnum festum celebrabatur, ipse condicionis difficilis sibi conscientius erat. Itaque verba, quae Archiabbas inter orationem quandam festivam protulerat, mihi sicut digna esse videntur. Dixit enim idem, in cuius verbis etiam melancholia quaedam appetit, praeter alia haec:<sup>46</sup>

---

45 Haec porta describitur in Chron. Ottil., m. Ian. ad m. Apr. a. 1928, «Jubelfest». - Fusius de hac porta *cfr* infra cap. 15.6.1.

46 Chron. Ottil., m. Ian. ad m. Apr. a. 1928, «Jubelfest». - Textus originaliter Theodiscus.

*«Hodie mihi esse videor ut arbor Maialis, quae viginti quinque annis ante e silvā allata est. Illo tempore cogitationes missionariae quoad me sepultae sunt. Cum Abbas eligerer, illa arbor prima vice ornata est et hodie quodammodo iterum exornata est. Paene superbus factus sum variis orationibus festivis in refectorio monasteriali habitis. Sed Deus carus iam curabit, ut arbor festiva, cui tot orationes laudativaे sunt appositae, procellā percutiatur et nonnulla quoque de eius ornatū auferantur.»*

Problema autem Tragoessianum atque omnes aliae difficultates itaque inter festum quoque in oblivionem non vēnerunt et in proximum tempus futurum onera attulerunt.<sup>47</sup>

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 218, 2019, pp. 481-496]

---

47 Thomas Spreiter: Tagebuch, 4,2,1928 (ASO, A.1.8.1) scripsit haec: «*Festiva septimana splendida nunc est transacta. Descriptiones magnificaе in actis diurnis divulgatae sunt. Et tamen umbra quaedam supra omnia iacuit. Est tragœdia Tragoessiana, quae prodigiis malis grava monasterio Ottiliensi imminet.*» - Textus originaliter Theodiscus.